







Q. D. B. V.

DE

AQVA

PRINCIPIO RERVM
EX MENTE THALETIS

IVSSV ET DECRETO

AMPLISSIMI

ORDINIS PHILOSOPHICI

PRO

SVMMS HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
IN PHILOSOPHIA OBTINENDIS

SVB PRAESIDIO

DN. IO. HENRICI MULLERI
PHILOS. NATVRAL. ET MATH. P. P.

*PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI PIETATE
STVDIO QVE COLENDI*

D. XXI IVN. A. O. R. MDCC XVIII

DISPVTABIT

IOANNES IGNATIVS VOLLANDVS

POPPENREYTHA NORICVS
SS. THEOL. STVD.

ALTDORFI NORIC.

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII VNIV. TYPOGR.

IML

DE
A Q V A
PRINCIPIO RERVM

EXAMINATE THEATIS

DE SECRETO

DE MYSTERY

GRADUS PHILOSOPHICI

PRO

SCIENTIIS HONORIS ET PRIVILEGIIS

INSTITUTIONIS UNIVERSITATIS

LEIPZIGENSIS

DAVID HENRICI MALLERI

PHILOSOPHI ET MATHEMATICI

PRINCIPALIS LIBRARIUS UNIVERSITATIS

LEIPZIGENSIS

INSTITUTIONIS

IOHANNIS STONATIUS VOLLANDUS

PHILOSOPHI ET MATHEMATICI

LEIPZIGENSIS

ALBERTI MORICI

PHILOSOPHI ET MATHEMATICI



CAP. I.

Sententiam Thaletis exponit.

§. I.



Difficillimam esse de rerum naturalium principii doctrinam, nec unquam facile ita extricandam, ut ab omni dubio liberata in clara luce posita coruscet, uix quenquam esse puto, qui neget. Testatur hoc ipsa principiorum indoles et natura, ab hominum sensu tam longe remota, ut nonnisi sagaci rationis scrutinio ex naturae extantibus et operantis uestigiis eminus quodammodo legi ac cognosci possit. Testatur id etiam Philosophorum, qui in ea inquirere conati sunt, ueterum et recentiorum dissensus, qui pro uaria ingenii perspicacia et philosophandi methodo uarias etiam de principii rerum fouerunt opiniones. Veterum sententias inter alios nobis commemorant *Aristoteles* et *Plutarchus*, interque eos nominant *Thalctem Milesum*, utpote qui singulari sua sententia de *aqua principio rerum* testimonium satis luculentum de dissensu isto Philosophorum ueterum exhibet.

De difficultate et hinc orto dissensu Autorum in constituendis Principiis rerum Natur.

§. II.

Quis et qualis Thales ille Milesius fuerit, quomodo primus inter Graecos ad studium Philosophiae Naturalis animum applicuerit, et quo iure inter septem Graeciae Sapientes fuerit relatus, quinam ante aut post ipsum, praecipue inter Recentiores, idem dogma fuerint amplexi, et quae alia ad Philosophi huius historiam pertinent, cum ab aliis abunde iam fuerit ostensum, praecipue uero *Th. Stanlejo* in *Histor. Philos. Rechenbergio* in *Disput. An aqua sit omnium corporum materia et*

An Thales Aquam pro principio rerum habuerit?

principium primum? Lipsi. 1676. habita, ab Autoribus Obseruationum selectarum Tom. 2. a. 1700. Obseru. 18. ut et Autore der auserlesenen Anmerkungen u. aliisque, hoc loco pluribus edocere, tanquam a scopo meo alienum, superfedeo. Quod autem hoc dogma docuerit et tradiderit, ex sequentibus palam euadit testimoniis. *Aristot.* Lib. I. Metaph. 3. *Plurimi*, inquit, *eorum, qui primi philosophati sunt, solas illas (causas) existimarunt omnium esse principia, quae in materiae specie sunt. Speciem tamen huius principii non eandem dicunt. Sed Thales quidem, huiusmodi Philosophiae princeps, Aquam ait esse. Quare terram quoque super aquam esse assererat.* Cic. de Nat. Deor. L. I. n. 11. *Thales, ait, Milesius, qui primus de talibus rebus (naturalibus) quaesuit, aquam dixit esse initium rerum. Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.* Et Lib. IV. Acad. Quaest. num. 34. *Thales ex aqua dixit constare omnia.* Quibus adde *Plutarchum* de Plac. Philos. L. I. c. 3. sequentibus verbis testantem: *Thales principium rerum dixit esse aquam.* Et Part. 2. Eth. Lib. de Iside et Osir. p. m. 182. *Existimant etiam Homerum itidem ut Thaletem ab Aegyptiis doctum, principium et ortum omnium rerum posuisse aquam.* Add. *Diog. Laert.* in vita Thaletis.

§. III.

Rationes eius
ad hoc principium
amplectendum.

Quibus rationibus inductus (de traditione enim, ex qua forte ei aliquid de hac sententia suboluerit, iam non loquimur) Thales hoc dogma amplexus fuerit, dubitanter ita loquitur loc. cit. *Aristoteles*: *Fortassis hanc habuit opinionem, quia nutrimentum omnium humidum esse uidebat, ipsum quoque calidum ex eo factum, eoque animal uiuere. Ex quo autem fit, id esse principium omnium. Propter hoc igitur hanc habuit opinionem, et quoniam cunctorum semina naturam humidam sortita sunt. Aqua uero naturae principium humi-*
dum

dum est. Magis affeueranter de eius rationibus differit *Plutarchus* de Plac. Philos. Lib. I. c. 3. *Quod autem ex aqua omnia orta sint, inque eam omnia suo interitu resoluantur, id ex eo primum coniecit, quod semen, omnium animalium principium, humidum est. Inde fit probabile, omnia ex humore nasci tanquam principio. Deinde, quia omnes stirpes humido aluntur, idque suae foecunditatis causam habent, eoque destituta exarescunt. Praeterea quoniam ipsi Solis stellarumque ignes aquae exhalationibus aluntur, ipseque adeo mundus.*

§. IV.

Rationes modo allegatae ansam suppeditant ulterius inquirendi in *Thaletis* sententiam, quam citati Auctores verbis perquam paucis breuibisque describunt. Itaque primo quid per principium intelligat, disquiremus. Materiam seu causam materialem, ex qua, tanquam *αἰτία ὑποκειμένη*, res naturales componantur ac formentur, ipsi hoc loco nomine principii venire, tum ex locis *Aristotelis* & *Plutarchi* satis patet, tum etiam uix quisquam est, qui in dubium vocet. An uero in hoc principio eas proprietates agnouerit, quae alias *Materiae* competunt, et quas saniores Philosophi plerique omnes in ea agnoscunt, interque eas naturalem inertiam et impotentiam se ipsam formandi, ita, ut causa efficiente et mouente indigeat, cuius interuentu uariis modis transformetur, et uarias corporum naturalium species induat & constituat, non satis inter eruditos conuenit. Equidem si *Ciceronis* locum de Nat. Deor. cit. consulamus, uidetur conceptum materiae satis conuenientem fouisse, dum Deo honorem, si non creationis, tamen formationis tribuit, adeoque eo ipso materiae impotentiam se ipsam formandi relinquit. Id quod confirmare porro uidetur *Locus* quidam *Diog. Laertii*, qui Lib. I. n. 35. ad quaestionem: quid sit pulcherrimum? *Mundus, Thaletem*

An per principium causam materialem, an uero efficientem intellexerit?

letem respondisse refert, addita ratione, *a Deo enim factus est.* Verum enim uero cum Cicero l. c. paucis interiectis Anaxagorae ex sectatoribus Thaletis diferte tribuat, quod *Primus* omnium rerum descriptionem ac modum mentis infinitae ui ac ratione designari ac confici uoluerit, eoque ipso hanc laudem Thaleti manifeste iterum deroget; atque insuper *Plutarchus* Ethic. part. I. in Conviv. Sapient. p. 360. ad quaestionem a Laertio relata, quod mundus sit pulcherrimus, non eam, quam Laertius, ex mente Thaletis, sed aliam eamque sequentem rationem addat: *quia omnes eius partes ordine aptae sunt;* & denique *Augustinus*, *Terrullianus*, alique ex Veteribus, quos cateruatim refert *Bayle* in Diction. sub uoce Anaxagoras, Thaletem nihil operi mundano ex diuina mente praeposuisse, magno consensu et quasi indignabundi asserant, ita ut hoc nomine ab Autoribus Obseruat. Select. Halae edit. 1700. Tom II. Obs. XXI. inter Atheos referatur: non satis euidenter apparet, quatenam Thaletis sententia circa principii illius seu causae materialis uel inertiam uel actiuitatem mens fuerit. Dicemus ergo, imbecillitatis humanae Veterum (cum Autore der *ausgewählten Anmerkungen von den 7. Weisen aus Griechenland.* §. VIII. et IX.) aequae ac nostrae ipsius, in ratiocinando et philosophando memores, Thaletem hoc quidem pro certo habuisse, quod aqua sit principium siue *Causa Materialis* rerum, a quo uero et quomodo illa formata fuerit, et a quo principio omnium primo reliqua cuncta dependeant, quoque ordine, serie et subordinatione primae rerum causae sibi inuicem succedant, definire ac determinare, uel ausum non fuisse, uel non potuisse aut uoluisse.

§. V.

An aquam omnium, an uero sublunarium reru tantum principium esse uoluerit?

An aquam habuerit pro Principio vel Causa Materiali rerum omnium, quae in uniuerso mundo, in Coelo ac terra reperiuntur, *an uero saltem sublunarium* & earum cumprimis,

mis, quae hodiernum nascuntur & generantur, discipiendum porro nunc est. Ex statu mundi sublunaris praecipue adductum illum fuisse ad dogma illud fouendum et amplectendum, rationes, quas *Aristoteles* et *Plutarchus* citant, a nutrimento stirpium et animalium humido, a feminibus humidis, a calido, quo animalia uiuunt, quod ex humore gignitur, desumptae, satis demonstrant. Extendisse tamen porro hoc principium ad uniuersorum corporum mundanorum materiam indicandam ac demonstrandam, ex uerbis Plutarchi colligitur, quibus solis etiam stellarumque ignes, ipsumque adeo mundum, aquae exhalationibus ali credidit, eadem procul dubio ratione, qua iuxta Aristotelem calidum animalis ex sanguine humido nascitur, alitur ac sustentatur.

§. VI.

Qualem porro aquam intellexerit, cui officium principii materialis seu elementi sit tribuendum, noua nunc quaestione expediendum? Vulgo enim, quando de aqua ceu elemento loquuntur, cum Aristotelicis intelligunt substantiam simplicem et homogeneam, quae in alias specie diuersas resolui non potest. Talis autem aqua nusquam in natura reperitur, sed tantum doctrinae gratia per abstractionem concipi et intelligi potest. Deinde sumitur etiam aqua in sensu uulgari, pro ea corporum naturalium specie, quae est fluida, humida et pellucida, terra leuior, aëre uero grauior, qualis e nubibus depluit, et in Oceano, lacubus, fontibus, fluminibus passim collecta deprehenditur, et minus pura est atque simplex, sed particulis aëreis, terrestribus, aliisque passim permixta reperitur. Hic equidem, quaenam aqua ex mente Thaletis, sit eligenda, dubios nos reddit *Seneca*, quando Quaest. Nat. VI. 6. eandem Thaletis sententiam referens, eam ita explicat, quod "illius iudicio terra tota subiecto humore portetur et innatet, siue illud *Oceanum* uoces, siue magnum mare, siue *alterius*"
natu-

An aquam intellexerit simplicem et puram, an uero impuram?

„naturae simplicem adhuc aquam et humidum elementum.
 „Hac, inquit, unda sustinetur orbis, uelut aliquod grande nauigium, et graue his aquis, quas premit. Quam in sententiam etiam uerba Aristotelis ultima, supra §. II. citata accipienda. Verum haec optio, quam Seneca lectoribus relinquit, utrum per aquam seu humorem Thaletis, Oceanum siue alterius naturae simplicem adhuc aquam et humidum elementum intelligere uelint, non uidetur oriri ex animo incerto et haesitabundo, quam potius ex aliqua, ut ita loquar, *indifferentia*, per quam ipsi perinde sit, qualem tandem aquam eligere uelint, dummodo talis sit, hoc est, tam grauis et densa, cui terra, uelut nauigium innatare possit, non autem tam tenuis et fugax, ut aër, in quo, quomodo terra tam grauis, ad instar ligni, natare et conquiescere possit, nemo sit, qui concipere aut intelligere queat. Vid. pluribus locum Senecae cit. et adde eiusd. Quaest. Nat. III. 13. Ut taceam, incertum esse, an uel *Aristoteles* (cuius fides in recensendis aliorum opinionibus dudum suspecta fuit) uel *Seneca* mentem Thaletis in hoc passu sincere nobis referant, nec potius ex sua et recepta Veterum opinione loquantur, (ut bene iudicat Autor Obseru. Select. loco supr. §. IV. citato) et sic quoque Thaletem sensisse sibi magis persuadeant, quam certe sciunt; quia saltem haec sententia cum alia eiusdem Thaletis consistere non potest, qua terram, una cum Stoicis, globi forma, qualis reuera est, praeditam asseruit, teste *Plutarcho* de Plac. Philos. Lib. III. cap. de figura terrae. Ut adeo si aliunde rationes haberi queant, ex quibus certior notio aquae Thaletis erui possit, nulla adhuc dum necessitas adfit, quae in Senecae incertitudine nos acquiescere iubeat.

§. VII.

Quodsi igitur argumenta pro stabilienda hypothese Thaletis supra §. III. allata consideremus, uix amplius dubii haberebimus,

Rationes adducuntur, ex quibus aquam impuram intellexisse colligitur.

rebimus, quod Thaleti aqua elementaris, simplex, homog-
 nea nunquam in mentem uenerit; tametsi Cel. *Bayle* in Di-
 ction. sub uoce Thales non obscure contrariam foueat sen-
 tentiam. Qui enim de tanta simplicitate aquae cogitare po-
 tuit, qui eam alias ob rationes pro uniuersali principio non
 agnouit, quam quia in animalium seminibus, in uegetabilium
 nutrimento rebus adeo diuersimode mixtis, aliquid ex proprie-
 tatibus aquae, aliquid nempe humoris, aliquid fluidi depre-
 hendit, atque insuper calidum, ut Aristoteles loquitur, ex eo
 fieri obseruauit, (prout in sanguine contingit) unde, quali-
 cunque analogia, tandem ipsi etiam Solis stellarumque ignes,
 tanquam calidi cuiusdam intensioris effectus, quin ex eodem
 principio nasci possint, non impossibile iudicauit? In talibus
 itaque corporibus, inquam, qui aquam quaerit, terrestribus,
 aëreis, igneis, sublunaribus et supralunaribus, totoque adeo
 coelo, ut aiunt, inter se differentibus, quomodo simul ali-
 quam simplicitatem ac homogeneitatem in animo habere pos-
 sit, ego quidem non uideo. Accedit, quod ii, qui paralleli-
 sum inter sententiam Thaletis et Veterum Poetarum at-
 que Philosophorum instituunt, passim *Oceani*, *Chaus*, *aquo-
 sae mixtionis &c.* mentionem faciunt, magno adeo consensu
 inuuentes, quod aqua hoc loco non elementaris, simplex, ho-
 mogenea, sed impura maxime et heterogenea ueniat intelli-
 genda. uid. *Stanlei. Hist. Philos. p. 8. sq. Obseruat. Select.*
Tom. II. p. 417. Equidem, dicent forte nonnulli cum *Bay-
 lio*, homogeneitatem magis cum indole principii, quale aqua
 Thaletis esse debet, conuenire, atque insuper magis qua-
 drare ad concipiendam originem terrae, aëris, ignis, aliorum-
 que corporum ex aqua. In promptu sunt testimonia Vete-
 rum, ait Autor *Obser. Select. l. c.* qui diserte affirmant, ex
 opinione Thaletis processum elementorum hunc esse, ut aqua
 attenuata aërem, magisque adhuc ignem gignat, in crassata

B

uero

uero terram. Ego uero respondeo, quaestionem hoc loco non esse, quomodo principium aliquod debeat esse comparatum, si principii dignitatem tueri uelit, sed qualem conceptum Thales de hoc suo principio habuerit. Deinde multo melius mutatio aquae in terram per condensationem, in aërem uero et ignem per rarefactionem explicari potest, si assumamus heterogeneam, quam homogeneam, prout ex saniori rarefactionis et condensationis doctrina recentiores plausibiliter edocent.

§. VIII.

An per aquam porro materiam humidam fluidam et pellucidam, an uero pelluciditate carentem intellexerit?

Restat, ut tandem aquae illius impurae ac heterogeneae, quam pro principio Thaletis assumendam esse ostendimus, naturam et qualitates strictius definiamus. Obseruamus igitur, quod aqua illa impura, qualis in praesenti naturae statu reperitur, ordinarie uulgatissimis illis qualitatibus sit praedita, humiditate, fluiditate et pelluciditate, ita tamen ut pelluciditatis uarii gradus in ea reperiantur, dum u. g. fontana multo est pellucidior fluuiatili, et haec magis quam palustris, et sic porro, harum quaeque una magis ex pelluciditate participat quam altera, ita ut saepe omni pene pelluciditate amissa, nihil fere praeter qualemcunque fluiditatem et humiditatem supersit, totaque fere in humidum quoddam pulmentum aut faeculentum quendam limum degeneret. Quando itaque dicendum est, qualemnam aquam Thalerem intellexisse putemus, fatemur ingenue, nobis tandem illam ad meram substantiam humidam et qualitercunque fluidam redire uideri, ita, ut hi duo characteres ipsam essentiam illius aquae constituent, et ubique illi adsunt, ibi etiam Principium Thaletis adesse censendum sit, atque pelluciditas hoc loco tantum pro qualitate accidentali habenda, quae pro varia illius principii raritate et densitate, puritate et impuritate, adesse et abesse possit. Rationes huius sententiae meae iterum desumo ex argumentis supra §. III, ex *Aristotele* et *Plutarcho* allatis. Cum enim certum sit, quod

quod aqua illa , qua stirpes aluntur , quae semen animalium constituit , et ex qua etiam calidum subinde fit et excitatur , ordinarie quidem fluida sit et humida , saepe autem pelluciditate destituta , ita ut humiditas tantum et qualiscunque fluiditas essentialem illius characterem constituat , non uideo , cur plura in aqua illa quaerere debeamus , quam ipsa uis argumentorum requirit , et quae sola ad robur quaecunque sententiae Thaletis conciliandae ualent . Nec aliud innuere uidentur loca , quae ad confirmationem hypotheseos Thaletis passim afferri solent , u. g. Scholiastae Apollonii , uel quisquis alius sit , (uid. notas editoris in Stanleium l. c.) ex limo terra producta est , ipsiusque *Orphei* : ex aqua genitum *lutum &c.* nisi hanc , quam modo descripsimus , substantiam , ita ut aquam quidem crepent omnes , re ipsa autem , si illam penitus inspiciamus , nil nisi substantiam materialem , madentem , fluidam , interdum etiam ob aquae purioris ubique inexistentis copiam et aliquale dominium , magis minusue pellucidam , in mente Thaletis reperire liceat . Quae tamen omnia hactenus in re tam incerta et recondita , intra coniecturarum limites consistere uolumus .

CAP. II.

An , et in quantum Thaletis sententia , salua ueritate , admitti possit , disquirat .

§. I.

VIlis nunc et euisceratis ipsius sententiae Thaletis interiori recessu atque momenti , nostrum nunc est , ut in illius ueritatem singillatim et per distinctos articulos inquiramus . Fatemur itaque et profitemur ante omnia ingenue , quod si Thales per principium suum intellexit causam efficientem , hancque dignitatem aquae suae tribuit (quod tamen

Improbamus sententiam Thaletis , si principium uel causam efficientem , uel etiam materialem facultate se ipsam circa concursum diuinitatis disponendi praedixit , esse uoluit .

uix credibile, nec a quopiam ei imputatum fuisse memini) uel causam quidem materialem, sed quae tamen citra diuinae mentis praesidium per se sufficiens fuerit ad rerum naturam constituendam (quam sententiam Baylium et Autores Obseru. Select. Cap. I. n. 4. citatos, cum plurimis Veterum Thaleti tribuere uidimus) quod, inquam, tale principium merito improbemus, reiiciamus, imo prorsus detestemur, tanquam si non atheum, saltem atheismo aequipollens, quippe materiae, contra omnem sensuum et rationis uim, nimium quantum plus iusto tribuens, et in honorem et maiestatem diuini Numinis summe iniurium. Nec putamus prolixa hic refutatione opus esse, quandoquidem etiam ii, qui ex Veteribus et Recentioribus materiae considerationi data opera incumbentes, ei aliquam uim motricem insitam et congenitam tribuunt, non tamen nisi mortuam quasi, uel saltem dormientem agnoscunt, quae ut in actum et uitam deducatur, motore opus habeat, alias citra illius efficacem influxum in aeternum inertem, torpidam, imo mortuam mansuram; ut adeo, si uel maxime Thaletis principio materiali talem uim insitam tribuere uellemus, nunquam tamen appareat, qua ratione exinde citra causae efficientis operationem rerum natura constitui et ordinari potuisset. Vnde etiam multo magis, eidem principio causae efficientis dignitatem in totum nequiquam competere posse, ex abundantia euincitur.

§. II.

Negamus porro, si aquam puram pro hoc principio uenditauit. Secundo etiam pronuntiamus, non admitti et defendi posse hypothesein Thaletis, si aquam puram et homogeam pro principio rerum materiali uenditauit. Neque enim patet, quod bene monet et urget *Rechenbergius* in *Disp. supr. Cap. I. §. II.* citata, *Aphor. V. §. I.* quomodo aquae particulae (homogae, nullis heterogeneis permixtae) lubricae et fluidae, possint in solidum corpus (terrestre) per uim naturalem coalescere. Dicis:

Dicis: conuerſionem aquae in glaciem duram et ſolidam manifeſte contrarium teſtari. Sed reſpondeo 1) hoc fieri in aqua non homogenea et pura, de qua nunc ſermo eſt, ſed in heterogenea, impura, particulisque aliorum elementorum permixta. 2) oſtendendum eſſet, glaciei ſoliditatem tantam eſſe; ut citra ſui deſtructionem et reſolutionem in aquam priſtinam, poſſet in alia corpora ſpecie diuerſa mutari, et ex his iterum in alia, et ſic uaria ſubinde ſchemata et formas induere, prout proceſſus, quem in natura obſervamus, et cuius uigore materia quaedam, u. g. ſucci in terris et agris, Protei inſtar in mille formas ſucceſſiue mutatur, id requirit. Inſtas porro: fieri tamen talem mutationem poſſe, ſi particulae aqueae aliam figuram acquirant, et loco lubricitatis aſperitatem, loco flexibilitatis rigiditatem induant, ſimilesque alterationes plures, quas propter exilitatem uidere non poſſumus, ſed tantum coniiicere, ſubeant. Sed reſp. 1) hoc eſſe contra Thaletis ſententiam, qui omnem et totam mutationem aquae in terram in ſola condenſatione, eiusdem uero in aerem et ignem in ſola rarefactione, citra aliam particularum mutationem quaerit, prout ſupra Cap. I. ſ. VII. uerſus finem uidimus. 2) talem figurae mutationem in particulis aqueis eſſe ſupra uires naturae poſitam, ita quippe limitatas, ut corpus aliquod ad ſummum poſit in primas ſuas minutias, ipſi congenitas, reſoluere, quem ſcopum ubi attingit, ſubſiſtere debet, neque ulterius progredi illarumque minutarum figuras congenitas deſtruere poteſt. Nam cum aquae u. g. particulae, quae quantae et quaeſcunque illae ſint, figuram ſuam non habeant a natura, ſed ab auctore naturae, ita ut ex his in prima rerum origine conſtitutis, (una cum aliis aliorum elementorum particulis, etiam peculiari ſua figura etc. gaudentibus) demum rerum natura coluerit et conſtituta fuerit, manifeſtum eſt, haec fundamenta de primigeniis rerum et elementorum particulis ad ea, quae

sunt *μετὰ τὰ φυσικά*, adeoque immutabilia pertinere, ita ut his quoque, inter alia, fulcris, naturae moles nitatur et subsistat, et sub his quasi cardinibus mutationum, generationum et corruptionum suarum orbem quasi agitet uoluatque; ipsa uero cardinum horum mutatio extra et ultra uires illius agendi cadat. Cumque eadem argumenta etiam contra mutationem aquae homogeneae in aërem, ignem et multo magis in alia corpora magis composita, ualeant, satis euictum esse putamus, quod initio huius *sphi* diximus, aquam homogeneam principium rerum materiale constituere non posse.

§. III.

Neque admittimus, si praeter humiditatem et fluiditatem etiam pelluciditatem semper adesse uoluit.

Neque etiam tertio aqua impura, si praeter humiditatem et fluiditatem etiam pelluciditas requiratur, potest constituere rerum naturalium principium materiale. Tameñ enim forte talis aqua materiam satis idoneam constituere possit ad succum et nutrimentum uegetabilibus praebendum, atque etiam semen animalium primam sui originem ei acceptam possit referre, non tamen apparet, quomodo reliquorum corporum naturalium, maxime terrestrium, et speciatim mineralium origines, ad solam materiam aqueam, quae non tantum sit fluida et humida, sed simul etiam pellucida, referri possint, cum, si crystallos, adamantes et reliquas gemmas pellucidas excipias, in reliquorum lapidum, metallorum, aliorumque fossilium materia, nulla pelluciditas agnosci possit. Restat igitur, ut denique uideamus, quid de ultimo omniumque latissimo aquae conceptu, qui nil nisi humiditatem et qualemcunque fluiditatem inuoluit, et quem Thaletem in animo habuisse ad Cap. I. §. VIII. eumque ultimum ex argumentis idoneis probabiliter ostendimus, sit statuendum, et annon ille saltem pro tali principio materiali rerum naturalium agnosci possit, pro uirili discernamus.

§. IV. Hic

§. IV.

Hic igitur intrepide statuimus et affirmamus, quod, Consentimus uero cum eo, si per aquam saltem materiam humidam et fluidam, uel ratione fluiditatis aquae analogam intellexerit, et probatur haec assertio nostra 1) a generatione plantarum et animalium.
 quantum ad originem et generationem earum rerum, quae hodie in mundo sublunari nascuntur, attinet, aqua modo descripta, h. e. substantia materialis humida saltem et fluida, tametsi non semper pellucida, in plerisque, in reliquis aliquid huic aquae analogum, et in conceptu saltem fluiditatis cum eo conueniens, absque omni dubio pro principio materiali sit habenda et agnoscenda, siue Thales illam sententiam uere fouerit, siue quod fortasse etiam fieri potuit, ei hanc opinionem saltem affinxerimus. Et ad animalium quidem plantarumque generationem, quod talis aqua materiam praebet, ne ii quidem, experientia nimis manifesta conuicti, dubitant, qui alias Thaletis sententiam approbare nolunt, quandoquidem hoc saltem reprehendunt, quod ex his naturae particulis non statim ad uniuersam rerum naturam sit concludendum, et quia quarundam rerum materia est aqua, non propterea idem de omnibus sit dicendum et statuendum. Nam, quod forte hic nonnemo urgere uellet, illam materiam aqueam ne quidem in plantis sufficere ad earum generationem, quia semen etiam adesse debeat, quod succum et aquam recipiat, adeoque iunctim cum aqua plantam constituat, nullius est momenti, si quidem 1) semen ipsum ex humore nascitur, et 2) quando idem iam induratum ad nouam plantae generationem concurrat, non nisi capsulae et receptaculi uices obtinet, in quo humor a causa efficiente digeritur secundum eam formam, ordinem et delineationem, quam futurae plantae natura deposcit, ita ut tota deinde plantae ex semine emergentis et crescentis substantia originem suam succo nutritio acceptam referat. Vt adeo id saltem adhuc probandum nunc restet, reliquorum corporum praeter plantas et animalia in mundo sublunari

lunari genitorum, materiam ex simili aqua constare, quam modo descripsimus, uel saltem materia aquae in fluiditate analoga. Quod ut breuiter expediamus, obseruamus, omnia corpora, quae praeter plantas et animalia in hoc mundo sublunari reperiuntur, ad duo haec summa genera referri posse, ad Meteora nempe et Mineralia.

§. V.

2) a *Meteoris*

De Meteoris emphaticis et similibus, quae non sunt corpora, sed corporum tantum modificationes, probare nihil tenemur. De hypostaticis autem nemo dubitabit, qui uel semel aliquando de nube, nebula, niue, pluuia, rore, pruina, grandine, stella cadente, igne lambente, fatuo et similibus uel differentem audiuerit, uel scribentem legerit, uel unica saltem obseruatione aut experientia edoctus fuerit. Imo si cui nihilominus aliquod adhuc dubium resideat, ei respondere possum, quod plurima eiusmodi meteora, ignes praesertim, non sint peculiaria corpora, sed corporum elementarium, aquae cumprimis aëris et particularum terrestrium uarii generis, modificationes cito transeuntes, nec durabilem aliquam corporum naturalium speciem constituentes. Tota igitur difficultas et probatio tandem ad regnum minerale redit, quod quam uastum est, et innumera rerum uarietate prolificum, tam facilem tamen nobis reddet probationem, si ostenderimus, quod 1) magna illorum pars ex omnium consensu succi sint uel actu fluidi, uel in fluorem resoluibiles, adeoque in initio generationis etiam fluiditate praediti, qualia sunt salia, bitumina, omnesque illae substantiae, quae sub succorum macrorum et pinguium titulo uenire solent. 2) reliqua autem, quae sub lapidum et metallorum nomine nota sunt, et de quarum primigenia fluiditate magis dubitari posset, ab initio generationis, si non humida, saltem fluida omnia, nullis exceptis, fuerint.

§. VII. De

§. VI.

De his igitur utrisque, ubi primo quod hodiernum generentur, deinde quod initio generationis sint fluida, imo etiam, quod in sui generatione humoris uere aquei subsidio uix bene carere possint, ostendero, idemque porro extantioribus exemplorum nonnullorum speciminibus comprobauero, uix quispiam erit, qui hanc ueritatem sibi facile persuaderi non patietur. De generatione adamantis, gemmae lapidum omnium nobilissimi atque durissimi sequentia refert Boyleus in Chymista szept. p. 322: Memini consultum illum itinerum suorum scriptorem *Linschotanium*, et alium bonae fidei autorem nos edocere in fodinis adamantum in Indiis orientalibus, quando terra non tamen multum profunde effossa, adamantes inueniunt, eosque omnino remouent; paucos tamen post annos in eodem loco adamantes nouos, exinde ibi productos reperiunt. Lapidés uulgares e natali solo extrudi in aërem et augeri, obseruauit *B. Schelhammer* in itinere ad insulam maris Baltici, testibus *Ephem. N. C. Dec. 3. a. 4. p. 152*. De metallorum noua generatione, et in uenis iam exhaustis post aliquot annorum interuallum Palingenesia seu regeneratione, prolixus non ero, sed ad testimonia solum prouoco, quae ex Veteribus *Plinio et Strabone*, Recentioribus autem *Fallopio, Caesalpino, Agricola* aliisque pluribus in huius rei confirmationem cumulatim affert *Boyleus* in Chymista Scept. p. 323. sqq. quibus adde *Ephem. N. C. Dec. 3. a. 9. p. 152*. de Palingenesia metallorum in uenis antea exhaustis: *Happelium* in relationibus curiosis, auri uegetabilis exempla plura continentibus; *Jonston*. in praefat. Dendrographiae; *Aloyst Ferdin. Comit. Marsigli* Operis Danubialis Prodromum, aliosque plures tam aperte id ipsum testantes, ut pluribus hoc demonstrare uelle res plane superflua uideri queat.

C

§. VII.

*Vbi (a) ulterius
speciatim ostendi-
tur et comproba-
tur Lapidum ge-
neratio ex humo-
re aqueo.*

Quando igitur Lapides et Metalla, si non omnia, plu-
rima tamen de nouo generari certum est, ostendam nunc porro,
quod generentur ex materia uel aquea, humida, fluida, uel
saltem aquae in tantum analoga, ut aliquali sua fluiditate aquae
naturam referant, imo etiam saepissime humiditate non
omni prorsus destituatur. De utrisque, ut hoc generatim
probemus, assumimus, quod sint corpora mixta, et ex uariis
ingredientibus simplicioribus composita. Hic igitur ostendo,
quod eo ipso, dum miscentur, non possint in alio nisi fluidita-
tis statu misceri, antequam consistentiam et soliditatem acqui-
rant. Requirit hoc ipsa mixtionis indoles et natura, per
quam partes ingredientibus minimae intime et quasi centraliter
se mutuo permeare et sibi inuicem uniri debent, quod, quo-
modo absque summa particularum libertate et mobilitate,
omni mutua cohaesione vacua, adeoque pura pura fluiditate
feri possit, ego quidem non uideo. Haec igitur minima (in-
quit Celeber. *Stahlus*, Specim. Becher. Part. I. Sect. I. p. 50.)
dum miscentur, in statu liberi progressus constituta esse de-
bere, ratio etiam simplicissima suadet: ut uidelicet sibi mutuo
libere occurrere, et inter se inuicem libere concurrere atque
coniungi ualeant. Status uero talis, ita liber, nullus alius
esse potest, quam *fluiditatis*, siue aqueo-humidae, siue aëreae,
halituosae, vaporosae, siue igneo-flammee, fuliginosae, fu-
soriae. Quod autem in lapidibus speciatim fluiditati humidi-
tas quaedam accedat, probant 1) Stalactites, species lapidis,
qui stiriae instar lapidescentis intra fornices cauernarum de-
pendens passim reperitur, estque, ut Experientissimus *Baierus*
noster *Oryctogr. Nor. p. 39.* describit, nihil aliud, quam la-
pis e confluentibus ac destillantibus aquae subterraneae guttis,
ad cryptarum fornices et parietes concretus, quando particu-
lae margaceo-terreae ac salino-nitrosae (ut *Physici* plerique
statu-

statuunt) ex aquarum amplexibus sensim dimissae ad inuicem
 accumuluntur, beneficio postmodum aëris ambientis conden-
 santur, et lapidis acquirunt soliditatem. 2) Corallia, quae ad
 lapides omnium consensu referuntur, indubie tamen ortum
 suum et generationem humori aquae marinae debent, prout
 testatur indubia obseruatio eaque recentissima Comitis *Mar-*
sigli ad portum Teloniensem (Toulon) ad mare mediterraneum in Gallia habita, qua constat ramos Coralliorum recens
 decerptos et aquae marinae immisos, post aliquod temporis
 spatium, gemmas et nodos acquisiuisse, ex quibus prodie-
 runt flosculi albicantes in forma stellae octo radiorum, su-
 stentatae a calice in totidem partes octo diuiso; ut proli-
 xius uidere licet in Memoir de l' Acad. des Sciens. 1708.
 p. 130. 3) lapidum quorundam constitutio interna, dum ex
 foliis et tenuissimis stratis, sibi inuicem super impositis, constant,
 qualis est lapis specularis et similes, quam constitutionem pro-
 cul dubio humido cuidam fluori acceptam referunt. Vt 4)
 de lapidibus arte factis nihil addam, qui procul dubio eam
 consistentiam et duritiem non acquirerent, nisi materia illorum
 antea mollis, humoris interuentu penitus subigeretur atque
 ita misceretur, ut ob profundiolem particularum permeatio-
 nem et cohaesionem mutuam etiam ne tunc quidem fa-
 cile iterum dilabantur, cum uel maxime humor interuentu
 flammae omnis eiectus est.

§. VIII.

Materiae metallorum fluidae, tametsi humiditatem uere ^{(b.) etiam metal-}
 aqueam addere aut tribuere non facile audeamus, notatu ta- ^{lorum.}
 men dignum est, quod ex obseruationibus peritorum, melius
 saltem et foecundius subnascentur, cum aliquid ex humiditate
 aquea materiae illorum accesserit. Dum enim peritissimus
Stablius l. c. p. 51. explicaturus *Becherum*, qui dicit princi-
 pia metallorum et mineralium lauari atque uagari solere,
 modo

modo aëris seu uaporis, modo *aquae* forma, subnectit, intelligendum hoc esse de uera *aquae substantia*, terreis illis corpusculis (mineralium) affatim impraegnata, quae occurrentibus aliorum generum principiis sub tali libere mobili aggregatione ad subeundam mixtionem tanto promptiores existant; confirmat tandem hanc suam sententiam sequentibus uerbis: Videtur autem huic negotio otanto magis suffragari illa ueritas a posteriori, quod in quocunq; profundiore mineralium situ, *aquae et uaporum* perpetua praesentia coniuncta sit; et simul profundiora huiusmodi loca semper metallis atque mineralibus deprehendantur *focundiora*. Confirmat etiam experientia, quod mineralium, extra directam distributionem subnascentium imo renascentium fertilia sunt profundiora loca, humido-vaporosa, quam superficie terrae propinquiora. Adeo quidem, ut ipsae etiam tractuum minereo-metallicorum portiones, superficiei terrae annexae, aut supra reliquam planitiem, colliculis aut monticulis eminentes, frequentissime ostendantur, mixto suo minereo-metallico iterum orbatae atque spoliatae: idque tanto certius, quo magis destituantur *aqueae* humiditatis subsidiis, reliquae uero compagis faxeae mollitiae et porositatis aëreo-igneorum motuum energiae expositae iacuerunt.

§. IX.

addantur et. exemplum et testimonia de hac lapidum et metallorum generatione.

Vt uero tandem ueritatem istam extantioribus quibusdam exemplis comprobem, refert *Boyle* Tract. de Gemmis. p. 14. se meminisse foeminam illustrem ingenio et uirtutibus egregie praeditam, quae comitata fuerat maritum suum Legati munere functurum magno coram Monarcha, ipsi afferuisse, quod inde attulerit inter pretiosa dona, aliaque rara (quorum quaedam ipsi ostenderit) crystallum, in cuius medio conclusa erat gutta aquae, quae facile motu suo obseruari poterat, crystallo imprimis situm mutante. Et, nisi me, addit, memoria fallit, in quibusdam frustis crystalli petrosae obseruauit

uavi aliqua, quae videntur arguere interceptum fuisse aliquid in corpore lapidis. Cui adde simile exemplum, quod proxime cit. loco sequitur. Sic pariter ex relatione Clariss. *Goelickii* in idea Philos. Natural. p. 79. D. *Siebers* Hamburgi crystalum monstrauit, in cuius centro fluitabat materia limpidissima et fluidissima, aliamque, in qua musca latebat. De terra seu lapide metallorum principio, quem uulgo *Quarz* uocant, testatur *Becherus* L. 1. sect. 3. c. 2. p. 126. quod in forma terrae, aquae et fumi non raro inueniatur. Et alibi p. 176. certum est inquit, metalla, ipsum etiam argentum, ex limo, quem metallicollae *Berg-Milch* uocant, generari, is enim cum prorsus liquidus sit, instar crassioris aquae, et in antris, uulgo *Zächen* non raro super lapides destillet, principio totus limosus et liquidus est, et si arte destilletur, spiritum oleum et terram praebet. Plura, temporis parcendi gratia, huc non enumerabimus.

§. X.

An corpora mundi totalia, atque ipse adeo mundus ex tali materia humido fluida, aut saltem fluida nata sint, difficilius est determinatu, atque fere rationis humanae captum excedit. Imo si ex ea ratione totius mundi materiam aqueam credidit *Thales*, quia mundus est animal, prout soepius laudatae obseruationes *Select. l. c.* arbitrantur, falsissimo fundamento hanc suam sententiam superstruxit. Tametsi enim etiam ex recentioribus non desint, qui tellurem nostram inter animalia referre audeant, praecipue ingeniosissimus *Keplerus* *Epit. Astron. Cap. 6. l. p. 126.* moti ex indicis animae in corpore telluris uersantis, calore u. g. subterraneo, operibus animae propriis, generatione metallorum, geometriae exercitio et similibus aliis; ualde improprie tamen et analogice haec talia de tellure dici posse nemo non uidet. Vbi enim organa sensoria, ubi facultatem sui simile generandi, ubi sexus diuersitatem,

4.) a corporum totalium generatione determinatur tamen difficili.

ubi motum spontaneum a principio interno excitatum, unquam uel in tellure, uel in uniuerso mundi systemate iunctim sumto deprehendere licet? ut adeo ex hoc fundamento uel terrae uel totius mundi originem uelle deducere nimiam ingenii fiducia et arrogantiam sapiat, qua scilicet aliquid monstri proferre, quam ignorantiam nostram nimis aperte fateri, aut nihil dicere, et ingenue legitimeque filere malumus. Duo tamen sunt, ex alio fundamento desumpta, quae in patrocinium sententiae Thaletis, cum aliqua ueri speciei proferre audemus. Vnum est, quod terra ac planetae uideantur ex limo, humido-fluido facti. Alterum, quod ignes coelestes, Sol nempe et fixae tanquam totidem Soles, non tantum ex materia fluida debuerint nasci, sed et forte aquae interuenientis subsidio ab initio ardere coeperint, et sic etiam ignes coelestes certo respectu aquae originem suam debere sint dicendi.

§. XI.

*Speciatim iterum
consideramus (a)
generationem ter-
rae.*

De origine terrae non iam ad Sacram Scripturam uocabo, sed ad eiusdem Phaenomena, quae ex sagaci recentiorum scrutinio innotuerunt. Corpora sub aequatore posita esse leuiora, seu minorem habere grauitatem quam extra aequatorem, ex indubiis pendulorum obseruationibus, prolixè hoc loco non commemorandis, patet. Omnibus rite pensitatis minor illa grauitas aliunde deriuari non potest, quam ex telluris diurna gyratione, qua fit, ut ob raptum sub aequatore, quam sub eiusdem parallelis, celeriore, corpora terrae insistentia maiorem conatum a circumferentia recedendi acquirant, et sic aliquid ex grauitate sua, qua conatu uersus centrum contrario multo fortiore nituntur, amittant. Quod si igitur tellus hodiernum gyratur, gyrata fuit procul dubio ab initio, cum conderetur, et ab hac gyratione formam et constitutionem suam accepit. Igitur ante formationem elementa confusum quoddam chaos constituerunt, et speciatim aqua cum terra

passim

passim permixta fuit, ita ut prima terrae materia limum quasi quendam et molle quoddam pulmentum constituerit. Habemus igitur materiam illam limosam, Thaletis principium materiale, ex qua tellus nata est. Habemus etiam fundamentum, ex quo terram sphaeroideam demonstrant recentiores, qua diameter aequatoris paulo maior est axe, qui ab uno polo ad alterum concipitur, quando quidem limus ille ab initio gyrationis necessario sub aequatore magis quodammodo intumescere debuit, antequam consistentiam et firmitatem, qua terra in praesenti naturae statu gaudet, acquireret. Et si, quod hodie probabilissimum, planetae sunt totidem quasi terrae coelestes, ex similibus elementis constantes, quid obstat, quo minus simili ratione ex limosa ejusmodi substantia nasci potuerint?

§. XII.

Materiam solis et fixarum ab initio generationis, quacunque demum ratione illa contigerit, fuisse fluidam alio argumento non opus est, ut probem, nisi eo, quo supra §. VII. nihil extra statum fluiditatis nasci posse probauimus, illudque ad Metallorum lapidumque generationem applicauimus. Quod autem speciatim corpora ignea facta sint et flammam conceperint, ea ratione ex aqua fieri potuit, qua particulas sulphureas et martiales in pyrite latentes similesque alias, per aquae humectationem resolui, et calorem fumumque concipere, et tandem in flammam erumpere, experimenta industria docent, et unde incendia ignesque tum terrae-motuum subterraneos, tum aëreos fulgurantes et fulminantes excitari recentiores perquam plausibiliter docent. Quam facile enim fieri potuit, ut ob sufficientem materiae inflammabilis et aquarum per uniuersum corporis solaris ambitum dispersarum copiam, non tantum particulae hinc inde flagrantes, ut in terra fit, sed incendium uniuersale per uniuersam superficiem globosam excitare-

(b) agitur de generatione Solis et fixarum.

citaretur? Cui sententiae tanto maior probabilitas accedit, quod plurimi recentiorum aliquid solidi globis illis igneis coelestibus subesse putant, quod fulcimenti quasi et baseos cuiusdem uicem immensis illis ignibus praebent, quippe uix alias uidentes aut capientes, quomodo uastissima eiusmodi moles ignea, si tota fluida esset, tam facile subsistere posset. Sed haec magis pro ingenii tenuitate qualicumque excogitatis, quam euidentibus argumentorum ponderibus fundatis assertis uenditamus, operam non inanem nos luisse contenti, si qualicumque Lectorum approbatione Thaletis sententiam excussisse uideamur, et eorum, quae minus recte dicta uidebuntur, emendationem a limato illorum iudicio expectemus.

S. D. G.

Pereximio Doctissimoque

DN. VOLLANDO

Artium et Philosoph. Candidato Dignissimo

GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNER D.

S. P. D.

DE principis rerum disputans peregre simul indolis Tuae praeclarae originem paternam, non aqueam tamen, sed igneam, h. e. ad sublimia altius ententem demonstras, Optime Vollande. Quas significationes, animi pariter, ac habilitatis ad praestantissima quaeque, cum mihi semel iterumque dederis, tum his potissimum speciminibus aliisque, in Theologia studiorum exercitiis, abunde confirmasti. Iniquus essem, nisi de his, et, quae mente mea praesentio, ampliöribus multo

multo industriae ingenique documentis Tibi non minus quam Maxime reuerendo DN. Parenti Toto pectore gratularer meamque, quam de Te foueo, spem firmiter conceptam, publica insuper approbatione et applausu testarer. Age itaque et quemadmodum rectam litterarum optimarum uiam auspicato iniisti primamque hanc metam laudabiliter contigisti, in eadem porro et sacra eruditione, iuxta cum sincero pietatis usu, prosperrimis progressibus perge. Ita enim, spondeo, fiet, ut non Patronorum tantum gratiam Tibi concilies uberem et constantem, sed diuini quoque coeui doctrina salutari uitaeque purioris exemplo plurimum sis aliquando profuturus. Ad quem finem obtinendum, cum de animi mei propensione et affectu prolixo non dubites, operam, quamcunque expetieris, uiribus respondentem, et preces cumprimis deuotas candidè polliceor.

Scrib. Altorphl a. d. X. Kal. Jul. A. R. S.

MDCCLXVIII.

Praestantissimo VOLLANDO
JOH. GVIL. BAIERVS D.

S. D.

INter tot aliorum bene Tibi cupientium plausus et gratulationes me unum silere aequum certe haud foret, quem Tuo candore animi, Tua sedulitate et erga me singulari studio pridem Tibi deuinxisti. Accipe igitur has lineas Tuae uirtutis meique amoris testes: utere bonis ac honoribus Tuo merito partis, et rem Tibi propositam, diuina ope adiutus, porro ex animi sententia gere.

D

Prae-

PRaestaste, VOLLANDE, uirum ! Pindoque
fauente,

Virtutis capies praemia digna tuae.
Crede, tuas Clarius laudes cumulabit Apollo ;
Musa nec in fluxis nomina scribet aquis.

*Pereximio dignissimoque honorum philosophi-
corum Candidato*

DN. IO. IGNAT. VOLLANDO,
*praeclara doctrinae rectique moris specimina ex
animo gratulabatur*

CHRISTIANVS Gottlieb Schwarz / P. P.
Ord. Philos. tertium Decanus.

Du Dein gelehrter Mund anheut aufs höchste
treibet

Der Weißheit Wunderwerck / der Alten kluges
Wissen ;

Was Wunder : wann man Dich in jenen Orden
schreibet /

Woselbst Apollo pflegt den munden Geist zu küssen /
Der von dem Pösel-Volck / wiewohl nicht ohn Bes-
schwerden /

Zur Sternen-Welt sich lenckt / zum Himmel von der
Erden.

Mit diesen wenigen eilfertigen Zeilen wolte dem Herrn Can-
didaten Einem wertheften Freund von Herzen zu
den höchst-verdienten Honoribus gratuliren

Joh. Cour. Zeltner Pf. zu Altentsh.
Da

Du Dein geübter Geist will die Natur ergründen

Und nach Thaletis Sinn der Dinge Ursprung finden/
So wird's dem Element des Wassers zugebracht †
Das den erstorbnen Baum von neuen grünend macht.

Weil Dir nun Pallas selbst den Lorbeer - Kranz gewunden!

So hat ein treuer Freund auch neue Freud empfunden.

† Hiob XIV, 7--9.

Dieses wolte dem Herrn Candidat zum Zeichen seiner Ergebenheit beysetzen

M. Sig. Jac. Apin, Opponens.

Du schreibst / geehrter Freund / vom Ursprung aller Dinge /

Die dieses Welt-Gebäu uns vor die Augen stellt ;
Und zeigt daß Dein Verstand durch allen Nebel dringe /
Der sonst andere gleich als gefangen hält /

Ja daß der Ursprung selbst von deinem ganzen Wissen
Nicht sey ein morscher Grund / noch ungewisser Wahn.
Drum ist nun Altdorff auch mit Recht dahin beflissen /
Wie es Dich nach Verdienst mit Ehren zieren kan.

Ge. Seb. Herbst Th. C.

Opp.

Cul-

Culmina Parnassi scandens sic splendida
 tandem
 Tendere propensam pergis ad astra uiam.
 Praemia, quae Phoebosunt sacra, parabit Apollo,
 Et Musae tribuent laurea ferta Tibi.
 Plaudo Tuis coeptis. Tibi iam *Feliciter* illud
 Acclamans, cordis gaudia prodo mei.

*Clarissimo et Dignissimo Philosophiae CANDIDATO,
 amico suo integerrimo,
 de specimine hoc inaugurali edito, deque ho-
 noribus impetrandis ex animo
 gratulatur .*

Christophorus Carolus Stoer. SS. Theologiae
 et Philos. Stud. Oppon.

Est Thales Satz verwirrt; so wird dieß deut-
 lich lehren:
 Daß Hollands saurer Schweiß der Anfang
 Seiner Ehren.

Dieses wenige wolte aus schuldigster Oblie-
 genheit beysetzen des Herrn CANDIDATENS
 ergebenster Diener und Vetter

Paulus Bachau LL. St.

00 A 6274

ULB Halle

3

002 913 380



56

VD 18

Reha ✓





Q. D. B. V.

DE

AQVA
PRINCIPIO RERVM
EX MENTE THALETIS

IVSSV ET DECRETO

AMPLISSIMI

ORDINIS PHILOSOPHICI
PRO

SVMNIS HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
IN PHILOSOPHIA OBTINENDIS

SVB PRAESIDIO

DN. IO. HENRICI MVLLERI
PHILOS. NATVRAL. ET MATH. P. P.

PATRONI AC PRAECEPTORIS OMNI PIETATE
STVDIO QVE COLENDI

D. XXI IYN. A. O. R. MDCCXVIII

DISPVTABIT

IOANNES IGNATIVS VOLLANDVS
POPPENREVTHA NORICVS
SS. THEOL. STVD.

ALTDORFI NORIC.

LITTERIS IOD. GVIL. KOHLESII VNIV. TYPOGR.